



VIR NOBILISSIME, AMPLISSIME,  
ET DOCTISSIME, PRAECEPTOR  
AETATEM SUSPICIENDE.



Uncta fervent votis, totaque schola gratulabundis vocibus  
resonat, omnisque Weisiani Nominis admirator & disci-  
pulus confluit, totus in laetitia exultat & triumphat, lae-  
tumque JO in onomasticis solemnibus effatur. Solusne  
igitur tam elinguis ero, qui me ab hoc laeto concursu sub-  
ducere, manuque ob os objecta obmutescere nil erube-  
scam? Nunquam me tam ingratae mentis crimine accusari  
concedam. Nec in eo tantum acquiescam, ut alternatis  
cum aliis votis certem, sed vincere etiam & superare eni-  
xissime allaborabo. Neque stimuli mihi desunt, qui me ad hanc pietatem  
magis quam alios evocare & inflammare, imo, si adhuc reniti vellem, vi eam  
exprimere & extorquere possent. Enimvero pietas in fidum Praecepto-  
rem, & tenellus amoris affectus, sanctaque in Parentem filii propensio ob-  
stant, quo minus obmutescat oratio, & ad ingratae silentii legem rediga-  
tur. Et peccarem certe, nisi dicerem, abundare TUAM erga me benigni-  
tatem, quam nulla re, nisi pietate obsequii rependo. Hic autem dubius in-  
certusque feror, utrum domesticis TE, VIR NOBILISSIME, & seductis  
a plurimorum conscientia votis adire, an illa publicis typis mandare praestet?  
Id equidem probe cognitum habeo atque perspectum, prioris generis vota  
acceptissima TIBI fore & suavissima. Perpulchre enim ingenium TUUM,  
VIR NOBILISSIME, & spiritus modestos calleo; Tibique neminem  
magis displicere, quid? quod sordere, quam illum, qui ad magnificas voces  
excitatur, TEque a nullis rebus magis abhorrere, quam ab illis, quae tegi  
nesciunt, & in quibus oculi totius populi habitant, novi. Et nisi aurium fi-  
des mihi est timenda, valida TE & alta clamantem audio voce: Haeneli!  
quid agitas, quid parturis? contrahe propositi tui vela. Nonne scis, quem-  
libet eo, quo maxime capitur teneturque, honore maectandum esse, & ho-  
norem, quo reclamans quis & refragrans colitur, pro molestia potius,  
quam pro honore habendum esse? Vellem, ut mihi Musae concederent, se-  
renam illam & sinceram laetitiam, qua circumfusus animus & viscera ipsa  
mirifice permulcentur, sacri silentii velo involvere, ad exemplum pictoris  
illius, in arte sua politissimi & excellentissimi, de quo antiquitas commemo-  
rabat, id eum velo adumbrasse, quod penicillo exacte & accurate adae-  
quare desperaverat. Ejusmodi tamen mihi impetus sentitur, qui multo  
mihi